



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

Dominica XVII. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

Suapte naturâ homo ad honorem aspirat; neque semper damnandus est appetitus iste, modò ad veram aspiret dignitatem, neque falso honoris nomine se decipiat. Facilè fallimur, maximè in re, quæ naturæ nostræ blanditur. Agnoscamus igitur, quid sit superbia: videamus ejus proprietates, genera, & operationes. *Mense V. Disc. 146. pag. 508.*

4.

*Qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 14.*

Nihil turpius est fure deprehenso: talis maximè aliorum ludibrio exponitur ac ridetur: & apud se summam confusionem patitur ac dolorem. Sic verò humiliari solet superbus; nam fur est, & quidem infelix fur, quem in furto suo deprehensum, dum honori non debito inhiat, propria expectat confusio. *Mense V. Disc. 148. pag. 546.*

DOMINICA XVII.  
POST PENTECOSTEN.

1.

*Tentans eum, Matth. 22.*

Quod Pharisæi in CHRISTO fecerunt, variis quæstionibus eum tentantes & capere in sermone cupientes, id facit dæmon  
in

in homine, eo præcipuè, quem nondum in peccatum præcipitavit; & vehementiùs in eo, quem videt à peccato jam assueto velle resurgere. Ejusmodi homini in tentatione tria consideranda sunt: DEUS me videt, DEUS me confortat: DEUS me remunerabitur.  
*Mense I. Disc. 23. præsertim à pag. 365.*

2.

*Diliges DOMINUM DEUM tuum ex toto corde tuo, Matth. 22.*

Si te aspectus æternitatis terret, modum habes, quo cognoscas, utrum te beata vel infelix illa exspectet. Beatam habebis, si DEUM diligas, & in illius gratia vivas. Sperare potes te esse in charitate & inter electos si peccata fugias, pœnitentiam ames, virtutem alacriter arripias. *Mense VII. Disc. 209. pag. 499.*

3.

*Tentans eum, Matth. 22.*

Volebat JESUM capere in sermone hic Legis Doctor, & curiosè interrogat de præcepto legis maximo: verùm & meritò à Christo refutatus est, ut nec ipse, nec alii ab illo die auderent ampliùs interrogare. Magis peccat Christianus, qui curiosè vult indagare in mysteria fidei: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria*, ait sapiens. Talis curiositas non solùm inutilis est, sed etiam periculosissima. *Mense VII. Disc. 196. pag. 270.*

4.

4.

*Diliges proximum tuum sicut teipsum.*  
*Matth. 22.*

Sublime est hoc præceptum de dilectione proximi, & simile illi de diligendo Deo. Multa in se includit alia, nimirum ut nos etiam ipsos diligamus, sicut alios. Disquirendum ergo est, quomodo proximum diligere teneamur sicut nos ipsos, minùs quàm nos, & plus quàm nos. *Mense VIII. Disc. 216. pag. 37.*

5.

*Magister, quod est mandatum magnum in lege?* *Matth. 22.*

Doctorem hunc curiositas adegit, ut adiret JESUM, & de præcepto omnibus notissimo interrogaret, cupiens audire novum responsum, quod occasionem præberet disputationi suæque sapientiæ ostentandæ. Eadem curiositate ducti etiam alii visitabant JESUM; verùm hic ita omnibus respondit, ut inutilem ostenderet omnium curiositatem. *Mense X. Disc. 292. pag. 322.*

DOMINICA XVIII.  
POST PENTECOSTEN.

1.

*Surge, tolle lectum suum.* *Matth. 9.*

R. P. Calini, S. J. Index. I Non